



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Lex magis, quàm rex, observanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

comprimitur, & quasi catulus simii amando suffocatur. De hoc idolo sæpius fit mentio in divinis litteris, & *Moloch* appellatur.

Saturnum quoque expriment, quicumque tyrannicè regnant, quales sunt turpissimi Mahometis sectatores, qui regnandi libidine, non aliter quàm lupi grassantur in fratres, filios, parentes.

Pulsus à Jove Saturnus, & catenis adstrictus in tartaro, ut aliqui poëtarum fingunt, indicat, justo denique talione poenas dare sanguifugas, & crudeles innocentum oppressores.

V. (e) Sed quomodo sub Saturno sanctissima legum majestas, & vis æquitatis viguit, quod supra indicavimus, cum ipse necando filios, ipsius naturæ vincula tam nefariè violarit? Respondens Mythologus lib. 2. c. 1. At illud, inquit, scire convenit, homines tunc simplices, non ad Saturni exemplum vivere solitos, sed ad legum ab ipso institutarum rationem. Semper enim fuit is regnantium furor, ut cum vel filius, vel frater, vel conjunctus in aliquam suspicionem inciderit, corruant è vestigio omnia naturæ vincula, nec quidquam magis periculosum est, aut minùs constans, quàm regnantium amicitia. Huc accedebat, quòd homines in imperio constituti, severissimè cæterorum vitia puniant, quibus ipsimet sunt obnoxii, neque comites habere scelerum facile patiantur. Quòd verò aureà Saturni ætate, flumina lactis & nectaris fluxisse, damas cum canibus, oves cum lupis lusisse feratur; significarunt veteres, tunc temporis viros bonos, legum patrocinio tutos à leariis & rei alienæ raptoribus fuisse, rectumque magis sua sponte, quàm Principum ductu & exemplo coluisse.

VI. (f) Quòd autem Saturnus in exilio non tantum ipse superbos & feroces spiritus deposuerit, sed etiam in genus humanum beneficus, rationem primus docuerit Italiæ incolæ; docetur, rebus adversis mitigari ingenia aspera, & à necessitate bonas extundi artes. Hospitalitatis quoque præmium, insignè tulit Janus, dum fruges noviter inventas fertili segete messuit, & post mortem inter deos translatus est, templumque habuit Romæ, à Numa Pompilio positum, quod tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur; unde *Patulcius* & *Clusius* cognominabatur. *Bifrons* etiam fuisse dicitur, quòd ætatis suæ prudentissimus præterita sciret, & futura prævideret. Vel etiam, quòd temporum Præses, annum aperiat & claudat. Vel, quòd Principi necessaria sit prudentia, quâ bello & pace pervideat, perpendatque, quid è re sit.

Bbbb 3

Un-

(e) Nontam Rex, quàm lex pro exemplo habenda. (f) Janus bifrons, aut quadrifrons
eius rei Symbolum.